

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0306

0304

0310

0300

0315

0295

0355

0255

0405

0205

0805

293

Ascalonem, quam cum aliquibus diebus impugnasset, ea conditione cives tradere ei civitatem parati erant, si regem Jerusalem Guidonem et Magistrum templi, quos in bello ceperat, Christianis restitueret. Quae pacta Saladinus libenter amplectens recepta civitate, ut in pactis promiserat, regem Jerusalem cum Magistro templi (282A) et omnem illorum domesticam familiam liberos abire permisit. Hac autem urbe sic obtenta Saladinus ad alias urbes et castra Christianorum se convertit et in brevi temporis spatio omnia subjugavit demtis aliquibus maritimis civitatibus, Tripoli scilicet et Tyro. Comes etiam Tripolitanus, Raymundus, proditor pessimus, nocte praecedenti, quando in die tradenda per eum fuit civitas Saladino, mortuus in lecto repertus fuit, et signa abnegationis fidei et stigmata circumcisionis suae et proditionis litterae omnibus sunt ostensa. Rex ergo Jerusalem Guido, perdita civitate suae sedis ad Tripolim se contulit, ibique cum suis principibus consedit. Est autem Tripolis civitas maritima in regione Phoenicis sita, fortis et antiquissima, negotiationibus apta.

De statu civitatis sanctae Jerusalem post ejus captionem, et de regibus ejus tutelaribus et diversis translocationibus tituli regni Jerosolymitani etc., et de commotione totius occidentis et succursu terrae sanctae.

Postquam igitur fuit sancta civitas Domino ita permitte in manibus Sarracenorum resignata et totum fere Jerosolymitanum regnum perditum et populus christianus multipliciter afflicto et confusibiliter de regno ejectus et Papa Urbanus III. hoc primum audivisset, prae nimio dolore et tristitia statim in lectum decidit et mortuus est in Ferraria, ubi tunc erat. Ibi etiam sinistri rumores et lamentabiles casus universa occidentis regna concusserunt omnesque reges et principes ad vindicandum Christianorum sanguinem se accinxerunt. Anno ergo Domini 1188. convocatum fuit generale concilium Parisiis, in quo ammirabilis et incredibilis multitudo militum ac peditum in subsidium terrae sanctae crucem accepit.

Ende

Anfang